



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et  
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs  
Theologicvm, iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1664**

Quæst. 5. Vtrùm æternitati Dei conueniat ratio, siue conceptus obiectiuus  
mensuræ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

quis, qua ratione diuina attributa sunt distincta inter se.

Sumpta enim pro attributo Dei semiextrinseco includente de connotato tempus imaginarium, aut etiam res, quæ in illo existunt, iuxta superius dicta non solum per rationem nostram, sed etiam realiter est distincta à cæteris omnibus attributis, quæ vel connotata distincta realiter, vel nullum connotatum includunt in suo reali conceptu, iuxta generalem doctrinam de distinctione attributorum supra disput. 2. traditam. Æternitas verò Dei sumpta pro intrinseco conceptu, cum ipso Deo identificato, & in æternitate semiextrinsecà intrinsecè incluso formalitas quædam Dei est à cæteris omnibus intrinsecis Dei attributis formaliter, seu per rationem nostram distincta, æquè, ac cætera intrinseca attributa formaliter, seu per rationem nostram sunt distincta inter se, iuxta doctrinam etiam vniuersalem disput. 2. citatà traditam. Distinguitur autem speciatim ab attributo intrinseco immutabilitatis diuinæ, cui magis videtur affinis, quòd hæc vt forma quædam, siue formalitas concipitur reddens Deum omni mutationi profus oppositum; atque adeò ab eà immunem; illa verò vt forma quædam, siue formalitas reddens Deum determinatum ad durandum in tempore vtrinque infinito ex suppositione, quòd tale tempus est, qua ratione est; & consequenter ad coexistendum cum alijs rebus in illo existentibus. Quæ diuersitas sufficiens est ad distinctionem metaphysicam, siue rationis formalitatum, atque adeò & attributorum intrinsecorum Dei.

QVAESTIO V.

*Virum æternitati Dei conueniat ratio, siue conceptus obiectiuus mensuræ.*

139 **D**Vplex hic quæstio est examinanda. Prima, vtrum æternitas Dei sit mensura seu essentia seu existentia, seu vitæ ipsius Dei. Secunda, vtrum æternitas Dei sit mensura existentia, siue durationis creaturarum.

140 Circa primam quæstionem partem affirmatiuam tenent Alens 1. par. quæst. 12. mem. 9. Albert. in 1. distinct. 8. artic. 8. Carthusian. quæst. 3. Hispal. distinct. 9. quæst. vnic. artic. 1. Ferrar. lib. 1. contra Gent. cap. 15. & 66. Caiet. 1. par. quæst. 10. artic. 5. & ibi Bann. dub. 2. Zu nel quæst. 2. Fasol. dub. 6. Quiros artic. 1. dub. 2. Gillius lib. 2. de Deo tract. 10. cap. 8. Ledesm. de diuinâ perfect. quæst. 7. artic. 2. Recupit. lib. 4. de Deo quæst. 18. & alij. Negatiuam tamen partem tenent Durand. in 1. distinct. 19. quæst. 2. Gabri. in 2. distinct. 2. quæst. 1. artic. 3. Ocham ibid. quæst. 13. Molin. 1. par. quæst. 10. artic. 1. disput. 3. Vazq. disput. 31. cap. 6. Soar. disput. 50. Metaph. sect. 4. Smising. tract. 2. de Deo vno disput. 4. quæst. 1. Pasqual. disput. 17. de Deo sect. 4. & alij.

141 Circa secundam autem quæstionem partem affirmatiuam tuentur vbi supra Alens. Albert. Ferrar. Ledesm. Quiros, Recupit. Fasol. dub. 5. Gillius cap. 7. Necnon Richard. in 1. distinct. 19. artic.

1. quæst. 1. Capreol. quæst. vnic. Hispal. distinct. 38. quæst. vnic. & alij. Negatiuam verò partem tuentur Durand. Gabri. Ocham. Vazq. Smising. Pasquali. vbi supra, & alij.

Suppono primò, quæstiones istas, sicut & alia solent, quæ circa definitiones rerum versantur, ferme in quæstiones de nomine, seu de loquendi modo recidere; vt potè quarum resolutio, ac determinatio ex eo potissimè dependet, quòd statuatur, quid nomine mensuræ, quidque nomine rei mensurabilis intelligendum sit.

Suppono secundò, Aristot. lib. 10. Metaph. cap. 2. postquam statuisset, mensuram respectiue ad quantitatem dici maximè propriè, inde verò ad alia transferri, eam acceptam propriè sic definere, *Mensura est id, quo quantum cognoscitur.* Id est, cuius naturà benè perspectà, ad aliudque comparatà, quantum sit illud deprehenditur aut magnitudine, aut multitudine, aut pondere, aut duratione, &c. Accipit enim Aristot. quantum hic vniuersè pro omni eo, *Quod est diuisibile in ea, qua insunt,* iuxta definitionem eius à se etiam traditam lib. 5. Metaph. cap. 13. & à nobis explicandam infra disput. 10. quæst. 1. subiungit autem Aristot. definitioni datæ mensuræ hæc verba. *Cognoscitur autem quantum vt quantum aut vno, aut numero; omnis vero numerus vno: quare omne quantum prout quantum vno cognoscitur.* Quasi dicat, Quantum sit id, quod mensuratur, cognoscitur per id, quo mensuratur aut semel tantum, aut aliquoties applicatum, vnàque subinde, aut numero aliquo applicationum eius. Cùmque omnis numerus per vnitatem mensuretur, & cognoscatur; consequens est, vt de primo ad vltimum omne quantum per vnitatem mensuretur, & cognoscatur. Sic linea per vnam cubiti applicationem, si sit vnius cubiti, per decem autem, si sit decem cubitorum, metienda venit. Decenarius autem deinde applicationum numerus per vnam earum multiplicatam toties venit metiendus. Addit Aristot. inferitis cap. 3. *Semper autem mensura eiusdem generis est: magnitudinum namque magnitudo; & secundum vnumquodque, longitudinis longitudo, latitudinis latitudo, vocum vox, grauitatis grauitas, vnitatis vnitatum, &c.* Nam quanta diuersorum generum, vt longitudo, & latitudo, magnitudo, & tempus, tempus, & pondus, & similia tanquam mensura, & mensurabile comparati inter se non possunt. Porrò inter mensuras minùs propriè dictas recenset Aristot. ibidem primum in vnoquoque genere, quod mensura dicitur cæterorum, quæ sub tali genere continentur, quatenus quoduis eorum eò perfectius est, quò magis ad perfectionem primi accedit. Quo iure species hominis mensura erit cæterarum, quæ sunt sub genere animalis. Recenset item scientiam, & sensum; vel quia scientia, & sensus, siue sensatio mensuræ quædam reputantur suorum obiectorum, vt exponunt plerique; vel quia per scientiam, & sensationem quibusuis rebus mensurabilibus mensuræ earum applicantur, cùm mensurantur, vt exponit Vazq. vbi supra cap. 5.

Ex his inferitur primò, mensuram propriè dictam aliam esse æqualem quanto per illam mensurabili; cuius subinde vnica applicatione illius absoluitur mensuratio, vt cùm longitudinem cubitalem semel cubito applicato metimur: aliam

aliam esse minorem quanto mensurabili. Cuius vel sunt plures applicationes iuste requisitæ ad tale quantum mensurandum, vt, si longitudinem quatuor cubitorum quater cubito applicato metiamur; vel supra vnam, aut plures applicationes eius vna insuper, aut plures applicationes alterius mensuræ minoris requisitæ sunt, vt, si metiamur longitudinem vnus, aut plurium cubitorum, & dimidij applicato semel, aut pluries cubito, & insuper dimidio. Et mensura quidem æqualis quanto mensurabili non potest non quanta quoque esse, vt est notum. Mensura verò minor illo tum quanta esse potest, vt est cubitus respectu longitudinis maioris, tum etiam non quanta, vt est vnitas respectu numeri, & quoduis indiuisibile respectu quanti (si quod datur) ex puris indiuisibilibus coalescentis. Applicatio autem mensuræ ad mensurabile aut purè mentalis esse potest; aut insuper externa, & physica, vt cunctis etiam notum est. Semper tamen necesse erit adhuc, vt intellectui mensuranti per mensurationem innotescat, quantum sit mensurabile, quòd ipsi nota, & perspecta sit quantitas mensuræ, quando est quanta; aut eius indiuisibilitas, quando est non quanta, vt etiam ex se est manifestum.

245 Sed dubitari potest, an quantum maius quanto mensurabili, quatenus eo maius est, rationem mensuræ respectu eius habere possit. Dico quatenus eo maius est: quia, si ex quanto maiori sumatur pars æqualis, aut minor quanto mensurabili, certum est, talem partem respectu quanti mensurabilis minus mensuræ obire posse, aut æqualis, aut minoris ipso iuxta iam dicta. Hoc tamen casu non integrum quantum maius quanto mensurabili huius mensura dicitur esse, sed pars dumtaxat ex illo sumpta; quia sola hæc, non item residuum, ad mensurationem, notificationemque quanti mensurabilis conducet. Est ergo difficultas an quantum maius quanto mensurabili mensura huius esse possit integrè sumptum, ita, vt ad mensurationem, ac notificationem quanti mensurabilis non solum pars aliqua quanti maioris, sed residuum eius, atque adeò totum ipsum conducatur.

246 Arbitror posse, si quantum maius quanto mensurabili notum, perspectumque mensuranti sit. Si namque scio, funem, quem habeo, esse decem cubitorum, & eo iuste applicato ab vno latere longitudinis, cerno excessum, quo illam, excedit ab altero, esse vnus cubiti, inde cognosco talem longitudinem, esse nouem cubitorum; ad quam noticiam non solum pars sumis applicata longitudini, & ipsi æqualis, sed etiam residuum, quo exceditur illa, & consequenter integer funis conducit tanquam mensura quædam quanto mensurabili maior, siue ipsum excedens. Hæc tamen dicta sunt pro casibus, in quibus tam quantum mensuratum, quam quantum mensurabile finita sunt. Superest verò dicendum de casibus, in quibus vel quantum mensuratum, vel quantum mensurabile, vel vtrumque sunt infinita.

247 Pro quibus arbitror secundo, quantum infinitum minus mensuræ obire non posse integrè sumptum respectu quanti finiti: quia cuiuscunque sit magnitudinis quantum finitum, excessus, quo ab infinito exceditur, semper est infinitus: atque ita per eiusmodi excessum in noticiam de quantitate determinatâ quanti finiti nullatenus veniri potest. Tertio arbitror, quantum finitum

mensuram quanti infiniti esse non posse: quia cuiuscunque sit magnitudinis quantum finitum, semper continetur infinities in quanto infinito, siue illi est applicabile infinities: atque ita per nulum quantum finitum veniri potest in noticiam de quantitate quanti infiniti. Quarto, arbitror quantum infinitum interdum posse esse mensuram quanti infiniti, vt quando est æquale illi, aut excedens ipsum, vel excessum ab ipso excessu finito, determinato, & noto. Interdum verò minime, vt quando non sunt inter se æqualia, excessusque, quo alterum ab altero exceditur, est infinitus. Quæ omnia luculentiora sient ex dicendis de infinitate quantum infra disput. 13.

Secundo inferitur ex dictis, de ratione mensuræ esse, quòd distinguatur à re mensurabili: quia nihil per se ipsum mensurari dicitur. Vnde mensura realis veniet dicenda, quæ realiter à re mensurabili distincta fuerit; mensura verò per rationem, siue rationis, quæ à re mensurabili fuerit distincta dumtaxat per rationem. Quid sit de aliâ relatione rationis supposititiæ, quæ appingitur à nobis cuius mensuræ, siue rei, quæ mensura dicitur, dum eam concipimus vel prout potentem mensurare, vel prout mensurantem formaliter. Istæ siquidem denominationes semiextrinsecæ sunt tali rei: & omnis denominatio semiextrinsecæ sumpta formaliter aliquam relationem rationis supposititiæ dicit in suo conceptu iuxta doctrinam generalem datam in Pharo Scient. disput. 12. quæst. 3.

Tertio inferitur, improprie, & translaticie dici mensuram quoduis totum respectu cuius rei mensurabilis, cum ratio mensuræ parti dumtaxat talis totius conueniens respectu talis rei mensurabilis ipsi toti tribuitur. Hoc pacto, vt reor, primum, seu maximum in vno quoque genere mensura dicitur cæterorum, quæ sunt sub tali genere; & vniuersim quoduis totum siue finitum, siue infinitum maius re mensurabili quoad eam quantitatem seu formalem, seu æquivalentem, penes quam comparantur, mensura respectu talis rei dici potest, quatenus aliqua pars sui siue æqualis ipsi rei penes talem quantitatem, siue ipsa minor cum omni proprietate potest per se respectu eius minus mensuræ obire.

Quarto inferitur, & si mensura proprie dicta dumtaxat sit talis respectu quanti mensurabilis à se distincti, prout quantum est, habentisque proinde quantitatem distinctam à sua. Improprie tamen, & translaticie posse, aut etiam solere mensuram dici quamlibet quantitatem respectu subiecti, quod quantum reddit, quatenus eà semel notâ in abstracto, cognoscitur quantum sit eius subiectum in concreto; tamen illud per ipsammet, & non per aliam quantitatem sit tantum, quantum est.

Iam suppono tertio, mensuram in præsentiarum aptitudinaliter sumi, dum aliud non exprimitur, pro eo scilicet, quod aptum est ad mensurandum aliud, sicque ad ducendum in cognitionem quantitatis eius; tamen si de facto, ac veluti in actu secundo nec mensuret, nec mensurando ducat in talem cognitionem. Et hæc est mensura actiua, de qua etiam, nisi exprimat aliud, semper est sermo; licet interdum ipsum mensurabile ab aliquibus mensura passiva dicatur, scilicet aptitudinaliter etiam, prout aptum est mensurari. Ipse verò actus mensurandi mensuratio dicenda venit: eritque actiua, quatenus est

est actus, quo mensurans mediâ mensurâ mensurat mensurabile, passiva verò, quatenus est actus, quo mensurabile mediâ mensurâ mensuratur à mensurante. Quomodo autem omnes eiusmodi actus vel primi, vel secundi aut semiextrinseci sint, aut extrinseci, & in quo consistant tum formaliter, tum realiter sumpti, ex vniuersali doctrinâ traditâ in Pharo Scient. disput. 8. constat.

152 Quartò suppono, rationem mensurationis, atque mensuræ propriè dictæ solum habere locum respectu intellectus creati cognoscentis imperfecti, & per species alienas; non item respectu intellectus diuini, aliorumque cognoscentium cuncta perfectè, & per species proprias: quia solus ille potest mediâ mensurâ noticiam acquirere quantitatis rei mensurabilis; quam hic perfectissimam habet aliunde independentem à mensurâ. Et mensura propriè dicta ea solum est, quæ rationem causare noticiam valet, iuxta definitionem statutam ex Arist. Poterunt tamen nihilominus Deus, & alij perfectè inuenientes mindis propriè, & translaticè dici mensurare rem quantam; tametsi per talem mensurationem nullam quantitatis eius noticiam comparent, quando clarissimè intuentur, illam tantam esse, quanta est mensura vel semel, vel pluries accepta, seu repetita. His ita positis sit.

Propositio I.

153 Æternitas intrinseca Dei non est propriè mensura realis seu essentia, seu existentia, seu vitæ ipsius Dei. Nec est propriè mensura rationis cuiusvis earum. Aliquo tamen modo improprio tum essentia, tum existentia, tum vitæ ipsius Dei potest mensura dici.

Prima pars propositionis inde constat. Quia ad rationem mensuræ realis propriè dictæ distinctio realis eius à re mensurabili est requisita iuxta dicta num. 148. Compertum est autem, æternitatem intrinsecam Dei realiter distinctam non esse ab eius essentia, existentia, & vitâ.

154 Secunda vero pars probatur. Quia, adhuc suppositâ distinctione rationis inter æternitatem intrinsecam Dei, & eius essentiam, existentiam, & vitam, aliunde nequit talis æternitas esse mensura propriè respectu alicuius earum: quia nulla earum prout præcisa à tali æternitate quantitatem habet eiusdem generis cum illâ, prout opus erat, vt talis æternitas respectu ipsarum esset mensura propriè iuxta doctrinam statutam num. 143.

155 Tertia denique propositionis pars ostenditur. Quia, suppositâ distinctione rationis æternitatis intrinsecæ Dei ab essentia, existentia, & vitâ eius, eatenus æternitas ipsa improprie dici potest mensura respectu vniuscuiusque earum iuxta doctrinam suppositam num. 150. quatenus ex noticiâ quantitatis æquivalentis, seu virtualis, quam habet ipsa æternitas in suo genere abstractè sumpta, promptum est, venire in noticiam, qua cognoscatur quanta concretè euadat in eodem genere ab ipsâ æternitate tum essentia, tum existentia, tum vitâ ipsa Dei.

Propositio 2.

156 Æternitas semiextrinseca Dei non est propriè mensura realis seu essentia, seu existentia, seu vitæ ipsius Dei. Neque est propriè mensura rationis cuiusvis earum. Aliquo tamen modo improprio tum essentia, tum existentia, tum vitæ ipsius Dei potest mensura dici.

Prima pars propositionis probatur. Nam (siue distinctio realis includentis ab incluso, quæ æternitas semiextrinseca Dei à tora reali Dei entitate distinguitur, sufficiens sit, siue non sit ad rationem mensuræ realis, de quo modo non curo) entitas realis Dei, & ipsius æternitas semiextrinseca non sunt quanta in eodem genere, prout opus erat, vt hæc comparatione illius propriè mensura esset iuxta doctrinam statutam num. 143. Siquidem hæc formaliter, illa vero æquiualeter, seu virtualiter est quanta quantitate temporali seu duratiuâ, quæ solum attenditur impræsentiarum, prout ex dictis in præcedentibus satis notum est.

157 Secunda autem pars propositionis probatur pariter. Quia, adhuc suppositâ distinctione rationis inter æternitatem Dei semiextrinsecam, prout includentem intrinsecam per rationem præcisam ab essentia, & existentia, & vitâ Dei sumptis formaliter, restat in his defectus quantitatis tum virtualis, tum formalis, quam illa habet: & quæ, vt illa harum mensura propriè esset, requireretur iuxta dicta ibidem.

158 Tertia demum propositionis pars probatur. Quia, suppositâ distinctione reali, aut etiâ formali, seu rationis æternitatis semiextrinsecæ Dei ab essentia, existentia, & vitâ eius, eatenus æternitas ipsa improprie dici potest mensura respectu vniuscuiusque earum iuxta doctrinam suppositam num. 150. quatenus ex noticiâ quantitatis temporalis, quam habet ipsa æternitas, in noticiam venire potest, qua cognoscatur, quanta ab eadem quantitate euadat tum essentia, tum existentia, tum vitâ ipsa Dei.

Propositio 3.

159 Æternitas intrinseca Dei prout talis non est propriè mensurâ respectu durationis creaturarum. Aliquo tamen modo improprio mensura dici potest respectu eius.

Prima pars propositionis probatur. Quia æternitas intrinseca Dei prout talis duntaxat habet quantitatem duratiuam æquivalentem, seu virtuales, quatenus necessitata est de suo ad durationem actualem, atque adeo ad extensionem temporalem per sui totius replicationem in omni tempore, eo supposito, vt in præcedentibus dictum est. Omnis verò duratio creaturæ, si sit diuisibilis, quantitatem temporalem, seu duratiuam formalem habet, si autem sit indiuisibilis, atque adeo vnico tantum instanti temporis correspondens, (nequit enim, si talis sit, correspondere pluribus, vt supra disput. 8. quæst. 3. statumus), omnis quantitatis duratiuæ adhuc virtualis expersert. Igitur, vt ex doctrinâ præsuppositâ constat, vel ex defectu quantitatis eiusdem generis, vel ex defectu omnis quantitatis nequit esse mensurabilis propriè vlla duratio creaturæ.

per aternitatem intrinsecam Dei prout talem. Atque adeo duratio intrinseca Dei prout talis respectu nullius durationis creaturarum est proprie mensura prout talis. Dico autem prout talis; quia, ut est quadam indivisibilis vnitas, cuiusuis numeri indivisibilium poterit proprie mensura esse. Quod non interest ad rem.

160 Secunda autem pars propositionis probatur. Quia, dum aternitas intrinseca Dei per sui totius replicationem coexistit omnibus, & singulis partibus cuiusuis durationis create iuxta superius dicta, aequalis a tali coexistentia per eiusmodi sui replicationem sortitur temporalem extensionem, siue quantitatem cum illa. Quo iure & ipsi applicari ut mensura, & ipsam metiri dici potest; improprie tamen; quia id non praestat (prout ad mensuram propriam requiritur iuxta dicta) per quantitatem duratiuam distinctam a quantitate illius; cum ab eadem illius quantitate sic quanta euadat semiextrinseca. Et quando duratio creata finita est, aliunde est improprie mensura aternitas Dei intrinseca respectu eius iuxta dicta num. 149. quia veluti per partem suae quantitatis virtualis, non verò per totam est illius eo modo mensuratiua.

#### Propositio 4.

161 Aternitas semiextrinseca Dei non est proprie mensura respectu durationis create, quando hæc est aut ab utroque, aut ab altero latere finita. Esset verò proprie mensura durationis create ab utroque latere infinita, si talis daretur. Cum tamen improprio quodam modo, quantumuis finita sit duratio creata, mensura eius dici possit.

Prima pars propositionis inde constat. Quia, cum aternitas semiextrinseca Dei sit vtrinque infinita secundum quantitatem formalem duratiuam, quam habet, ex suo conceptu tum entitatem Dei, tum tempus vtrinque infinitum claudente, iuxta superius dicta; durationis create aut ab altero, aut ab utroque latere finita mensura proprie dicta esse non potest. Quandoquidem quantum infinitum integrè sumptum respectu quantumis modo finiti minus mensura proprie dicta obire non potest, ut supra num. 147. statutum est.

162 Secunda autem pars propositionis probatur. Quia, ut ibidem etiam statuimus, vnum quantum infinitum mensura est proprie alterius quanti infiniti, quando ambo inter se aequalia, & eiusdem generis sunt. Constat autem ex dictis hæc aternitatem semiextrinsecam Dei, & durationem creatam vtrinque infinitam duo quanta & inter se aequalia, & eiusdem generis esse quoad quantitatem temporalem, seu duratiuam.

163 Tertia denique pars propositionis inde probanda venit. Quia respectu cuiusuis durationis create quouis modo finita pars ipsi aequalis, aut minor aternitatis semiextrinsecæ Dei mensura proprie potest esse; cum tamen non possit tota ipsa aternitas integrè sumpta, ut satis ex dictis notum est. Constat autem quoduis totum improprie appellari mensuram respectu rei, cuius pars aliqua ipsius totius proprie mensura est, iuxta dicta num. 149.

Et hæc satis, superque dicta sint pro contrariis fere de nomine, seu de modo loquendi. Quæcunque autem contra illa possunt opponi, ex dictis in tota hac quaest. facile quicquid diluet.

#### QVÆSTIO VI.

*Virum aternitas ita sit propria Dei, ut nulli omnino creature communicari possit.*

164 **S**uppono primò ut apud omnes certum, casu quòd daretur motus vtrinque infinitus, siue carens principio, & fine, atque adeo toti temporali (quod dicitur imaginarium) pariter vtrinque infinito correspondens, siue illud replens per suarum partium temporalem distributionem, & si ille dici posset aternus a parte ante, & a parte post, quatenus principio, & fine careret; sed non eo genere aternitatis, de qua modo agimus; eius nimirum, a qua res qualibet per illam aternam haberet, sicuti Deus de facto habet, ab aeterno, & in aeternum, & semper existere per sui totius temporalem replicationem, siue repetitionem in omnibus, & singulis partibus predicti temporis imaginarij infiniti. Quomodo autem motus ille vtrinque infinitus, etsi de facto non detur, possibilis sit, ex dicendis infra disput. 13. quaest. 6. constabit.

Suppono secundò etiam ut certum apud omnes, aternitatem omni temporali correspondentem per sui totius temporalem replicationem eà ratione, qua conuenit Deo per essentiam, & prorsus necessariò, nullatenus vili creature communicari posse. Atque ita propriam Dei esse. Quia non potest quidpiam conuenire creature hoc ipso, quòd creatura est, aliter, quam per participationem, & contingenter, vtpote quæ vel suum ipsum esse existentie aliunde, quam a Creatore, & aliter, quam contingenter, habere non potest, vt est notissimum.

165 Suppono tertio ut probabilis, impossibile esse creaturam, quæ essentialiter petat esse replicatam temporaliter in partibus temporis infinitis aut a parte ante, aut a parte post, aut vtrinque; sicque aut a parte ante, aut a parte post, aut ab utraque parte esse aternam ex hypothesi, quòd existat ita, quòd Deus nullà potentia possit illi pro tempore minori existentiam dare casu, quòd illam velit producere. Quia, ut supra disput. 8. quaest. 3. vniuersè statuimus, non est possibilis creatura, quæ vel per paucas partes temporis diuisibilis petat essentialiter durare, ita, ut a Deo non possit poni existens, & durans in paucioribus. Igitur multò minus erit possibilis creatura petens essentialiter durare aut in partibus temporis infinitis a parte ante, atque adeo ab aeterno; aut in partibus temporis infinitis a parte post, atque adeo in aeternum; aut in omnibus partibus temporis vtrinque infiniti, atque adeo per integram aternitatem.

166 Suppono quarto ut certum secundum fidem, multas creaturas de facto ex decreto Dei fore extituras in aeternum, atque adeo aternas fore a parte post per sui totius replicationem temporalem in omnibus partibus temporis a parte post infiniti. Tales sunt animi rationales, & Angeli, vt